

realis remanet in dispositione juris communis, & sic durabit per 30. annos, ut in leg. Sicut in rem, Cod. de Præscript. 30. vel 40. ann. cum sim. ut Rei vindicatio Publiciana, Confessoria, & similes.

- 3 Item adde pro complemento materiæ, quod ex nostra lege cum superioribus allegatis in ejus corroboracionem colligitur, quod hodiè est subblata materia perpetuacionis: nam de jure communi, si creditor agit contra debitorem actione sibi competenti, perpetuabitur actio per litem conclusionem, & à fortiori per sententiam, & extenditur in tempus 40. annorum, ut in leg. fin. Cod. de Præscript. 30. vel 40. annor. Sed hodiè per nostram legem non perpetuatur, imò minori tempore durat: interruptetur tamen necessariò præscriptio temporis præteriti, & in hoc non corrigitur jus commune. Prædicta tamen omnia procedunt & habent locum quando agitur de præscribendo jure, remedio, vel actione ad petendum & consequendo debitum ab alio, qui nullum jus vel titulum habet: si verò habeat & possideat rem alienam cum titulo & bona fide; tunc est propria materia præscriptionis, vel usucapionis: de quo vide in suis locis ordinariis, & plenè & certè magistraliter per Franc. Bald. in suo tract. Præscript.

### TEXT. LXIV.

**P**OR quanto en las Ordenanzas que hezimos en la Villa de Madrid, à quatro dias del mes de Diciembre del año passado de mil y quinientos y dos años, ay una ordenanza, el tenor de la qual es este que se sigue.

Otro sí, por quanto por la ley por Nos fecha en las Cortes de Toledo ovimos ordenado, que si los deudores que debian algunas deudas, en quien son fechas execuciones por contratos, obligaciones, ò por sentencias à pedimiento de los acreedores en los deudores, ò en sus bienes alegaren paga, ó otra excepcion que sea de recibir, que tengan diez dias para la probar; y no se declara desde quando han de correr los dichos diez dias: declaramos y mandamos, que los dichos diez dias corran desde el dia que se opusiere à la tal execucion: Y passados los dichos dias, si no probare la dicha excepcion, que el remate se haga como la dicha ley lo dispone, sin embargo de qualquier appellacion que della se interpusiere, dando el acreedor las fianzas como la dicha ley lo manda

Y porque nuestra mercede y voluntad es que la dicha ordenanza aya cumplido efecto: Por ende mandamos, que lo contenido en ella se

guarde, cumpla, y execute como en ella se contiene, sin embargo de qualquier apellation que dellas se interpongan para ante Nos ò para ante los Oydores de nuestras Audiencias, ò para ante otros qualesquier Juezes; ó qualquier nulidad que contra la dicha execucion y remate se alegue.

Id est:

Quoniam in ordinationibus per nos Matrili factis die 4. Decembris præteriti anni 1502. est quædam, cujus tenor ita habet. Item, quoniam per legem à nobis factam in communi congressu Tolitano (H. en las Cortes de Toledo) ordinavimus, ut si de bitores aliquorum debitorum, in quibus facta fuissent executiones pro contractibus, obligationibus, aut pro sententiis ad creditorum petitionem in debitores latis, aut in eorum bona, allegaverint solutionem, aut aliam executionem receptibilem habeant terminum decem dierum ad illam probandam; & non est declaratum, in ea ordinatione scilicet, unde sunt numerandi prædicti decem dies: Declaramus & præcipimus, ut prædicti decem dies numerentur de eo die quo prædicta executioni debitor se opposuerit: elapsis verò, nisi exceptionem prædictam probaverit, venditio observatur prout ipsa lex disponit, non obstante quavis provocatione adversus eam interposita data à creditoribus fidejussione quemadmodum ipsa lex præcipit. Et quoniam nostra mens & voluntas (H. merced y voluntad) est ut prædicta ordinatio sortiatur plenum effectum: Ideo præcipimus, ut quod habetur in ea observetur, impleatur, & fiat prout in eadem continetur, non obstante quavis provocatione qua ab ipsis (scilicet nostris Justitiæ Ministris) interponatur ad nos, aut ad nostrarum audientiarum auditores, aut ad alios quosvis Judices, sive quavis alia nullitate, qua contra prædictam executionem aut absolutam venditionem allegetur.

## COMMENTARIUM

### In Legem LXIV.

#### SUMMARIUM.

- 1 Instrumentum publicum Guarentigium habet executionem paratam.
- 2 De jure communi instrumenta non habent paratam executionem.
- 3 In aliquibus casibus de jure communi instrumenta habent paratam executionem.
- 4 An requiratur, quod hodiè in instrumento publico ponatur clausula Guarentigia?
- 5 Istud instrumentum etiam mandatur executioni.

tionem contra heredes debitoris principalis?

- 6 An istud jus exequendi competat heredibus & successoribus creditoris?
- 7 An istud instrumentum publicum possit mandari executioni pro debito in diem, vel sub conditione?
- 8 Si istud instrumentum fiat in loco ubi potest mandari executioni, si in alio loco peratur executio ubi non viget talis lex, ibi non mandabitur executionem.

**N**OTA ex ista lege, quod instrumentum publicum Guarentigium habet executionem paratam, & nulla exceptio potest contra eum opponi, nisi illæ quæ continentur in lege ordinaria hic allegata; & illæ debent opponi infra decem dies à tempore oppositionis: creditor tamen debet offerre fidejussorem; quod si executio fuerit revocata, restituet pecuniam solutam debitori: Et cum his executio procedat & consequatur plenum effectum. (f)

- 2 Pro cuius legis & materiæ perfecta declaratione dico & præsuppono; quod regulariter de jure instrumenta, quantumcumque publica, non habent executionem paratam, sed tantum vim probationis, procedendo per viam ordinariam: ita probat textus singularis in leg. Minor annis 25. cui fideicommissum, in fin. ff. de Minorib. ibi, quia paratam ex iudicati causa persecutionem novo contractu ad initium alterius petitionis redegerat. & ibi notant & commendant DD. illum etiam textum ad hoc notat & commendat Bald. & alii DD. in leg. Si cum dotem, §. Eo autem tempore, ff. Solutio matrimonio Alexand. Jas. & Moderni, in leg. Ait prætor, §. Si iudex. ff. de Re iudicat. idem Alexand. Jas. Philipp. Decius & alii Moderni, in leg. fin. Cod. de Edict. divi Adriani tollent. & reputat in jure singularem Roderic. Suar. in leg. Post rem iudicatam, ff. de Regulis jur.

fol. 120. col. 3. versic. Advertas, probat etiam text. in leg. 2. Cod. de Executione rei iudic. & ibi Glossa ordinaria & communiter DD. text. in leg. 4. §. Si ex conventionem, ff. de Re iudicat. text. in leg. Si cum dotem, §. Eo autem tempore, ff. Solutio matrimonio. Confirmatur, quia nullum genus probationis habet executionem paratam, nec producit actionem, nec executionem; quia virtus & effectus ejus dependet à sententia definitiva: istam regulam & doctrinam probant prædicta jura, & in terminis ponit Glossa singularis & unica in leg. Sed & si possessori, §. fin. verb. Probatum, ff. de Jurejur. quàm ibi notant & commendat omnes DD. præcipue Jas. 2. col. num. 4. & illam Glossam ad hoc reputat singulariter Bald. in leg. 1. Cod. de Execut. rei iudic. 2. column. num. 2. idem Bald. in cap. 1. col. 4. de Litis contest. & reputat singularem Segura in Reper. leg. Si ex legati causa de Verbor. obligat. folio 101. column. 3. versic. 3. differentia, & illam Glossam ad hoc reputat singularem & unicam Flor. in leg. Cum de Indebito, §. 1. n. 7. ff. de Probationibus.

Quod est verum & procedit regulariter; præterquam in aliquibus casibus specialibus à jure, in quibus habent paratam executionem, scilicet, in sententia, juramento, confessione, testamento, & aliis pluribus casibus adductis & collectis per DD. ubi supra, & maximè per Roderic. Suar. in leg. Post rem iudicatam, ff. de Re iudic. fol. 1. cum sequentibus. Item etiam est verum & procedit etiam in tali instrumento publico sita clausula Guarentigia, & verba executiva & condemnatoria; quia dicit debitor, quod habet se pro condemnato, tamquam si per iudicem proprium ordinarium & in sententia definitiva esset condemnatus: quia privatorum consensus non potest tribuere jurisdictionem tabellioni, vel notario, ut illum condemnet: argumen-

(f) Quod si post decem dies nullitatis exceptio ex defectu jurisdictionis proveniens contra executionem opponatur: licet generaliter nostra lex, ibi, ò qualquier nulidad, disponere videatur, hanc exceptionem non esse admittendam; verius tamen videtur in proposita specie exceptionem nullitatis ex defectu jurisdictionis provenientem opponi posse contra sententiam quæ dicitur de remate, & ejus executionem impedire; nam ut dicatur sententia, oportet dari jurisdictionem in iudicante: Hancque opinionem tenet Mexia in explicatione legis Toleti, in responsione ad primum fundamentum, 2. part. ex num. 13. Azeved. in leg. 3. titul. 21. lib. 4. Recop. circa fin. pro qua facit Gloss. in Clementin. unic. verb. Non obstante, de sequestratione possess. & fruct. & facit præterea, quia licet exceptio nullitatis non impediatur executionem trium sententiarum, ut tenent omnes in dict. Clementina 1. de Re iudicat. tamen, si nullitas provenit ex jurisdictionis defectu, bene poterit opponi executioni trium sententiarum conformium: ut tenent omnes in dict. Clementina 1. de Re iudicata, & latè Covarrub. in Practicis Questionibus, cap. 25. per totum: unde, cum Iudex recusatus sine adjuncto sententiam profert de remate, vel sibi adjungit alium qui sit etiam recusatus, poterit sine dubio hæc nullitatis exceptio opponi etiam ad impediendam executionem sententiæ de remate; quia videtur hoc casu deesse in iudicante jurisdictionem.

mento text. in leg. *Privatorum consensus Cod. de Jurisdic. omn. judic. cum simil.* Et quod illa sit clausula Guarentigia, tenet & declarat ultra omnes melius quam ibi Jas. in leg. *Error. Cod. de Juris & fact. ignor. 8. column. num. 12.* idem Jas. in leg. 1. §. *Si quis ita*, ff. de *Verbor. obligat. 9. column. num. 25.* Doctor de Segura in *Repetit. leg. Si ex legat. causa*, ff. de *Verbor. obligat. fol. 6. column. 3.*

4 Hodie tamen de jure nostro regio instrumenta publica bene mandantur executioni: ita disponit *lex 4. tit. 8. lib. 3. Ord. & ista nostra lex Tauri.* Sed pulchrum dubium est, an requiratur quod in tali instrumento publico hodie ponatur prædicta clausula Guarentigia & condemnatoria? Et videtur dicendum quod sic; quia aliàs non est fundamentum ex quo oriatur virtus exequutiva & jus exequendi: & in terminis ita determinat Bald. in leg. *Etiã*, Cod. de *Execut. rei judic. 1. column. num. 4.* idem Bald. in leg. *penultim. Cod. de Fidejuss. 1. column. num. 3.* Doctor de Segura in *Repet. leg. Si ex legat. causa*, ff. de *Verbor. obligat. 7. fol. 2. column.* Jas. post Bart. & alios in leg. 1. §. *Si quis ita*, eod. *titul.* Roderic. Suar. latius & melius quam alibi in *dict. leg. Post rem judicatam*, ff. de *Regulis juris fol. 120. 2. column. versic. Sed pulchrum & mihi novum dubium est*, &c. adeo quod non sufficit si postea ponatur ex intervallo, secundum eos. Sed, salva ejus pace, ego teneo contrarium, imò, quod instrumentum publicum hodie possit mandari executioni in nostro regno etiam si non contineat prædictam clausulam: & hoc per *dict. leg. 4. titul. 8. lib. 3. Ordinam. & per nostram leg. Tauri.* & ita practicatur. (g)

5 Et in tantum est verum quod prædictum instrumentum publicum mandatur executioni; ut habeat locum & procedat nedum contra debitorem principalem, sed etiam contra ejus hæredes: argumento text. in leg. 1. & per tot. Cod. de *Hæredit. action. text. in leg. Unic. Cod. ut actio ab hered. & contra hered. incip. text. in Authent. de Jurejur. a mor. præscript. versic. 1. collat. 5.* ubi probatur, quod hæres & defunctus una persona censentur: text. in leg. *Cum hæredes*, ff. de *Acquirend. possess. ubi per aditionem hæreditatis hæres representat personam defuncti*, & in eum transeunt omnia jura personalia, realia, & mix-

ta: text. in leg. 2. §. *Ex his*, ff. de *Verbor. obligat.* ubi dicit text. quod ex persona hæredis nuntquam conditio, virtus, & natura obligationis mutatur: bonus text. in leg. *Postulante*, ff. ad *Trebell.* ubi probatur, quod ad id, ad quod tenetur & potest compelli debitor principalis defunctus, tenetur & potest compelli ejus hæres. Ex quo in propriis terminis inferunt ibi Bartol. Paul. Imol. Alexand. & communiter DD. quod si ex forma legis vel statuti debitor potest incarcerari pro debito, poterit etiam incarcerari ejus hæres. Quod tamen intellige & declara, quando prius liquidatur & declaratur quod est hæres, & adivit hæreditatem: ita probat in specie text. in *dict. leg. Cum hæredes*, ff. de *Acquirenda possess. ibi additione secuta*, in terminis nostris tenet Baldus, in leg. *Per diversas*, Cod. *mandat. 4. col. 10. quest.* idem Bald. in leg. 3. Cod. de *Pignor. fin. column.* Paul. de *Castro in dict. leg. Postulante*, ff. ad *Trebellian.* Angel. in leg. 4. §. *Si ex conventionem*, ff. de *Re judic.* idem Angel. in leg. *Oration. ff. de Feriis*, Alexand. in leg. à *Divo Pio*, §. *In venditione*, ff. de *Regul. jur. pen. col. num. 34.* Roderic. Suar. in *dict. leg. Post rem judicatam fol. 123. versic. Extensio 1.* Quod iterum subintellige & declara, præterquam si postea in processu executivo liquidetur & constet quod est hæres; quia sufficit, & non annullatur processus: ita singulariter Socin. in *Cons. 103. volum. 3.* Item etiam intellige & declara, ut etiam si liquidetur & probetur quod est hæres & adivit hæreditatem, non potest contra eum fieri executio intra tempus datum à lege ad conficiendum inventarium: ita probat textus notabilis in *leg. fin. §. Donec. Cod. de Jure deleg.* ubi dicit textus quod infra illud tempus non potest hæres conveniri nec inquietari: & ad hoc in nostro proposito notat & commendat ibi solus Bartol. & tenet & exaltat Roderic. Suar. in *dict. leg. Post rem judicatam, fol. 123. extension. 1. vers. Adverte tamen singulariter.*

6 Item etiam adde, quod istud jus exequendi competit hæredibus & successoribus creditoris: ita etiam probant jura superiora, & tenet Paul. Alexand. & Modern. in *dict. leg. Postulante*, ad *Trebell.*

Item etiam adde, quod prædictum instrumentum publicum potest mandari executioni pro debito-

(g) Quæ opinio legibus hujus regni requirentibus instrumentum publicum, magis convenit; cum ad hoc ut publica dicantur, sufficiat coram tabellone publico esse confecta: quod asserit Palac. Rub. in leg. 63. *suprà num. 1.* ubi Castill. verb. *Obligacion personal. num. 11.* & in hanc partem magis inclinat Perez in leg. 4. *titul. 8. lib. 3. Ordinament. gloss. 1. column. 5.* in *princ.* quamvis contradicat Covarr. *lib. 3. Variar. cap. 11. num. 3.* Menes. in leg. 1. *num. 21. Cod. de Juris & facti ignorantia.*

bito & promissione facta & præsumpta, ut quando maritus confitetur in instrumento publico dotem recepisse; quo casu præsumitur & fingitur à jure promissio: nam pro ea potest mandari executioni: argumento text. in leg. *Unic. Cod. de Rei uxor. action. text. in leg. Jurisgentium, §. Quod ferè*, ff. de *Pactis*, ubi habetur, quod illud quod inducitur & præsumitur ex instrumento censetur esse de tenore ejus: text. in leg. *Si duo patroni*, §. *Marcellus*, ff. de *Jurejur. text. in leg. Pluribus*, ff. de *Verbor. obligat.* ubi, si plures res deducuntur in contractu vel stipulatione, & unica tantum responsione alter promittat, tot censentur esse stipulationes & promissiones quot res fuerunt dinumerata: text. in leg. *Asse toto*, ff. de *Hæred. instit. text. in leg. Si ita scripsero*, ff. de *Condit. & demonstr.* & in expresso ita tenet Bartol. in leg. 1. ff. de *His qua in testamento delend.* Bald. ubi valde commendat in leg. *Unic. §. Et ut plenus*, in *fin. Cod. de Rei uxor. action.* idem Bald. in leg. *Ubi adhuc. Cod. de Jure dorum*, idem Bald. in leg. *Ad probationem, la 1. Cod. de Probat.* ubi dicit, quod est primum consilium quod dedit in jure: idem Bald. in leg. 1. *Cod. de Condit. ob caus. in fin.* & ibi Salycet. Jas. in leg. *Certi conditio, num. 2. ff. Si cert. petat.* idem Jas. melius quam alibi in §. *Fuerat. Instit. de Action. 10. column. num. 85.* Roder. Suar. in *dict. leg. Post rem judicatam, ff. de Re judic. fol. 124. vers. 2. Extende.* Ex quo subtiliter potest dubitari: si quis conduxit domum vel rem pro certo tempore & pretio, & se obligavit instrumento publico Guarentigio; & postea, finito tempore, stetit in conductione, & visus est rem tacite reconducere; an possit illud instrumentum mandari executioni pro secundo contractu? Et dicendum est quod non; quia non fuit prorogatum & tacite renovatum instrumentum: ita tenet notabiliter Bald. in leg. *Legem. Cod. locat.* quem sequuntur communiter DD. (h)

7 Item etiam adde & extende, quod prædictum instrumentum publicum potest mandari executioni nedum pro debito puro & de præsentibus, sed etiam pro debito in diem, vel sub conditione, die vel conditione verificata & purificata: ita probat text. in leg. *fin. §. Titius*, vers. *Sed si festerit conditio dua pura sunt*, de *Vulgar. & pupillar.* ubi probatur, quod dispositio conditionalis post purificatam conditionem dicitur pura, & habet omnes effectus, ac si purè & simpliciter esset celebrata: & ibi notat & commen-

dat Glossa ordinaria, & communiter DD. Baldus in leg. *Cum testamento*, Cod. de *Testam. manum. idem Bald. in leg. 2. Cod. de Execut. rei judic. Franc. de Aret. in leg. fin. §. fin. ff. de Verbor. obligat. Jas. in leg. In illa stipulatione*, ff. de *Verbor. obligat. 4. column. num. 6.* & ibi Franc. de Ripa 3. *volum. Angel. de Aret. in §. Curare*, *Instit. de Action. antepen. column. Roder. Suar. in dict. leg. Post rem judicatam, ff. de Regul. jur. fol. 134. versic. Quinto limita.*

8 Item adde, quod si prædictum instrumentum publicum fiat in loco ubi mandari potest executioni ex dispositione legis vel statuti, ut in nostro regno; & in alio loco vel regno ubi non potest mandari executioni, quia non viget talis lex vel statutum, petatur executio; non mandabitur executioni. Item è contra, si fiat instrumentum in loco vel regno ubi non potest mandari executioni, & petatur executio in nostro regno, ubi per nostras leges regias potest mandari executioni; mandabitur executioni, tali fundamento & ratione: quia in his quæ spectant & pertinent ad ordinem judicii, semper inspicimus locum judicii, & non contractus vel instrumenti confecti; sed in his quæ spectant & pertinent ad substantiam contractus vel obligationis, semper attendimus ad locum contractus celebrati: ita probat text. in leg. 2. *Cod. quemadmodum testam. aper.* per quem istam regulam & doctrinam ponit & notat ibi Bald. & communiter alii DD. tenet etiam Bartol. Paul. Alexand. & Jas. in leg. à *Divo Pio*, §. *Sententiam Roma*, ff. de *Re judic. Bald. in leg. 1. Cod. de Execut. rei jud. idem Bald. in leg. 1. Cod. ne Filius pro patre*, 4. *quest. Palac. Rub. plenè & notabiliter; quem vide in sua repet. cap. Per vestras de Donat. inter vir. & uxor. fol. 2. column. 2. versic. Ex quo inferitur*, Roderic. Suar. in *dict. leg. Post rem judicatam, fol. 154. vers. Circa judicem.*

## TEXT. LXV.

LA interrupcion en la possession interrupta causa la prescripcion en la propiedad; y por el contrario, la interrupcion en la propiedad interrupta la prescripcion en la possession.

Id est:

Interruptio in possessione interruptit prescriptionem in

(h) Idem tenet Perez in leg. 4. *titul. 8. lib. 3. Ordinam.* cum aliis quos refert pag. 630. in *fin.* & Montalv. in leg. 20. *lib. 8. part. 5. & in leg. 8. titul. 17. lib. 3. Fori*, Anton. de Canar. in *Tractat. Executionum, num. 82.*